

B. C. D.

AIAX,

Sive

De nece Accersita,

DISPUTATIO PHILOLOGICA
quam

COELESTI ANNUENTE NUMINE,
Consensu item Amplissimæ Facul-
tatis Philosophicæ,

SUB PRÆSIDIO,

Celeberrimi VIRI,

D^N. M. TORST. RUDEEN,

Poës. Professoris Ordinarii.

Publico examini exhibet

JODOCUS GESSING/

Ad d. 5. Martii, in Audit. Max.

AN. M. DC. XCVIII.

horis & loco consuetis.

ABO, Excudit Jo. L. Wallius.

S. Æ R. Æ M. TIS

VIRO SUMMÆ FIDEI,
CONSILIARIO REGIO,
DICASTERII ABOENSIS
PRÆSIDI,

CELSISSIMO ET LONGE ILLU-
STRISSIMO
COMITI,

D^{N.} GABRIELI

FALCKENBERG

COMITI de Sandemar/
LIB: BARONI de Odenswiholm/
DOMINO de Söderby / &c.
DOMINO SUO BENIGNISSIMO.

FELICITATEM IN CONCUSSAM
ET
GLORIAM PERÆNNEM !!!

**CELISSIME COMES,
DOMINE GRATIOSISIME,**



admirationem multis haud
dubie movebunt mei co-
natus, atque diversa judi-
cia elicient, primo intuitu
cum viderint, TUO IL-
LUSTRISSIMO NOMINI, CEL-
SISIME COMES, studiorum
meorum Academicorum primitias me
in-

inſcripſiſſe; ſed ſumma illa benevolentia,
quâ bonarum artium cultores proſequi
ſoles, facit, & animum hæſitantem ho-
neſtoque flagrantem deſiderio, pia re-
cordatio, ſummæ benignitatis, CEL-
SISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ,
in Domum mihi paternam affatim de-
claratæ, erigit. Adeo ut ſi occuparem
TUA CELSISſIME COMES merita,
& beneficia in Domum patriam collata,
exprimere ſane ob magnitudinem, ſer-
mone comprehendere non poſſem,
quamobrem humilimo affectu ſolum
ea veneror. Atque etiam nunc pedi-
bus TUIS ſupplex advolvor, preci-
busque ſubmiſſis oro, ut me atque ſtu-
dia meâ clementer reſpicere & tueri
digneris. Sic majori fiducia pergam
ex ſcientiæ fontibus aliquid haurire,
qui hætenus fueram animi ſententiâ,
quam benignitate Minervæ felicior.
DEUS TE CELSISſIME COMES
ſervet Clementiſſimo REGI, Illuſtris-
ſimæ

simæ Domui TUÆ, & literis, quarum
omnium amore & favore inflamma
tus sis, quam diutissimè incolumem
salvum, & superstitem ! ita vovet.

ILLUST. TUÆ EXCELLENTIÆ,

Servus humilimus

JODOCUS Festing.

Nobilissimo atque Generosissimo,

DN. HENRICO

HÆRZOG JEM/

**Regiæ Revisionis Secretario adcu-
ratisimo, Mæcenati meo
Maximo,**

Nobilissimo & Amplissimo,

Dn. JOHANNI

ELZENSTEDT/

**Dicafterii Regii Holmensis Secre-
tario dignissimo, Promotori omni
veneratione perpetim co-
lendo.**

MÆCENATIBUS ac PROMOTORIBUS Magnis,
*presentem ingenio sui factum, in grati
animi signum, ulterioris promotionis &
favoris spe certissimâ*

submitte

offert

Auct. Resp.

Natalium honore, virtutis cultu, morum
concinnitate & bonarum artium studio,
apprimè commendabili Juveni,

Literatissimo ac Politissimo

Dn. JODOCO FESING /

Dissertationis hujus egregiæ Auctori & Propu-
gnatori solertissimo; Amico meo per dilecto,
hoc schediasmate adplauderam.

Scire cupis Festing/ à summo Nu-
mine quod sint
Innocuæ vitæ tradita jura Tibi.

Esse nefas Homines dirâ se morte necare
Cum ratione doces, id moderante
DEO.

Pectore Ti residet mens non violabilis
ergo,
Quâ fit, quod charus, non violandus
eris.

Sic veterem, ceu fert nomen, firmabis
honorem,
Atque novum paries, nomine & arte
gravis.

DAVID LUND.

*Ad Eximium Præstantissimumque bonarum
literarum Studiosum*

Dn JODOCUM FESZING/
Affinem & Amicum sincerè
dilectum:

Cum nuper significasti, te Disputationem
de *Αυτοχειρία* conscripsisse, simul argu-
mentum electum esse, & variis variorum
judiciis vexatum, & non minoribus invo-
lucris obsitum, sed juxta eo majore eluci-
datione dignum, facile intelligere potui. E-
quidem vulgò jactatur, neminem vitæ suæ
dominum esse; homicidii crimini se obnoxium
reddere eum, qui prius sibi vitam adimit,
mortemque accelerat, quam ei placuerit, qui
illam dedit, ac proinde talem aut honesta
sepultura privandum, aut alia pena, quæ
ceteris sit exemplo, plectendum, multos olim
censuisse ac hodieq; censere, plusquam notum
est.

est. Rursus multos absolutum, ut ita dicam, jus
heic homini concessisse, credidisseq; posse aliquem
ultra vitã pro altero pignori opponere, eam et-
iam citra conservationem alterius pro altero de-
vovere, & ubi ejus taderet, ante naturalem
fatalemve terminum ipsam abrumpere, &
Annalium fides omni exceptione major, &
omnis ævi, prioris imprimis, exempla con-
firmant. Quo & illi referendi sunt, qui
de lege se non interficiendi, illum casum ex-
ipiunt, quo quis in probrum ipsius DEI ef-
set victurus: nec non qui sat plausibilibus ar-
gumentis, mortem sibi arcessentes, quo tor-
menta & ludibria, imo ignominiam carnificis,
aut etiam pudicitie sue violationem, a tru-
culento hoste favore principe imminentia,
effugiant, excusant. Hæc & alia ejusmodi
opinionum divortia, quæ huc transcribi pos-
sent, cum Disputatione tua, ni fallor, com-
plexus sis, & diligenter ponderes, verio-
remque omnium sententiam defendas ac argu-
me-

mentis idoneis confirmes; non potest non con-
digna laus institutum hoc tuum excipere bo-
nisque omnibus commendare, quibus quidem
hactenus & morum facilitate & probitate
laudabilique in studiis bonarum literarum
diligentia commendatus atque acceptus fuisti.
Macte porro esto hac constantia & virtuti-
bus, ut Tuis omnibus, imprimis honoratissi-
mæ Matri gaudio, Reipubl. vero, Ecclesiæ
præsertim, cui studia tua consecrasti, emo-
lumento esse queas. In quem finem, & bo-
nam valetudinem & prospera quæque Tibi ex-
opto! scrib. lubenti animo, sed agro cor-
pore 22. Febr. 1698.

Tuus

MATTHIAS SVEDER.

LECTO.



LECTORI BENEVOLO.

Noties in hac Amplissima Musarum Palaestra feliciter decurrere alios multaque laude digna praestare video, toties mecum cogito quo argumento teneri ingenii teneras vires etiam ego probarem. Obtulit vero sese cogitanti non incommode Ajacis mentio, quam in Metamorphoseon libris 12. & 13. fecit Ovidius, docetque fuisse post Achillem fortissimum, eorum qui in decenni adversum Trojanos bello pugnabant, sed qui, quod miror, se ipsum interemit ex doloris impatientia, atque ob illam quoque actionem non reprehendi reperitur, tanquam si ευρυς seu generose obisset. Placuit hanc rem penitus contemplari, atque in prateritorum retro secu-

lorum morem, circa necem voluntariam, mittere aliquam curam, præcipuè cum ex Poëtis antiquis pauci sint, qui illam non videntur adprobasse. Scio quidem hosce meos conatus requirere & vires iudicii, & consummatæ eruditionis copiam, nec voto meo nec materie dignitati à me posse fieri satis; Nihilominus tamen dicto Ciceronis erectus; Ad summa, inquit, semper contendamus, si autem nos forte, aut nostra præstantis ingenii vis defecerit, eum, quem possumus, cursum, teneamus, primaq; sequendo, etiam in secundis subsistere, sæpe numero laudi habetur. Tuam L. B. mitiorem imploro censuram, si aliqua deprehenderit ad eam perfectionis limam non excussa, quam jure suo exposcit materie amplitudo: humanum enim est erranti ignoscere, benignèque modestos conatus interpretari, nec ad vivum a-mnia refecare,

§. I.

Qvam misere humanus^o intellectus, in hâc miseriarum valle fit depravatus, post primi Parentis lapsum, quanta sit humanæ naturæ cæcitas, & tarditas, nullus mortaliū est, qui non ipse secum sentit, licet nequeat describere eandem; scilicet mens nostra tenebris peccati oppressa, nec essentiam nec voluntatem DEI rectè cognoscere; nec viam æternæ salutis sua oculorum acie cernere potest. Nihilominus tamen, nobile DEI opus homo, id cum omni animantium genere commune habet, quod velit se, vitam, & corpus tueri. Volatilia status sui conservandi amore tenentur; aquatilia in destructionem sui non eunt. Et quid reliqua moror animalia? singula tam valide in amorem & conservationem sui feruntur, ut spretis hujus vitæ malis, etiam maximis, in odium & sui in-

ternecionem non facile accēdantur,
 sed variam & multiplicem artem,
 alimentum parandi, seque susten-
 tandi inquirant. Hominem quod
 attinet, dedit illi DEUS non modo
 corpus, sed & partem eam, per
 quam benè novit res varias co-
 gnoscere; ex præsentibus & præ-
 teritis de futuris judicare; ex effe-
 ctibus causas, ex causis effectus e-
 licere, actionesque singulas ad de-
 centem ordinem referre. Decen-
 tem utriusque curam agere, & sva-
 det instinctus naturalis, & præscri-
 bit Recta Ratio. Rationem dixi:
 quam si ab homine tollas, nihil illi
 erit honestum vel inhonestum, ju-
 stum vel injustum. Quod vero a-
 nimam attinet, eam veris bonis
 perficere, & pulcherrimarum re-
 rum scientia exornare, conveniet,
 ut quilibet ad id fastigium perve-
 nire queat, quod cujusvis ingenio
 & fortunæ respondeat. Hinc scire
 jam

jam possumus, quod homo cum cæteris animantibus hoc commune habeat, quod sua conservatio curæ ipsi sit, ac ut quam optime sese habeat, ultro gaudeat.

§. II.

Verum enimvero, quantumvis omni animanti sui conservandi amorem commendavit natura, interea tamen deprehendimus apud Poëtas & historicos vestigia non infrequentia, cum illorum, qui sponte sibi mortem consciverunt, tum illorum, qui talium actiones laudant, atque hinc est illustris illa controversia inter Philosophos exorta & agitata: *Num scilicet homo proprio ex arbitrio, ubi jucunditatem vitalis auras adspersatus fuerit, aut ad evitandas magnas misérias, & antevertendam ignominiosam mortem jam jam impendentem sibi ipse ultimum fatidicem properare queat?* Nam contentionis terra de hoc argumen-

mento non segniter reciprocari cœ-
 pit, aliis in Affirmantem, aliis in ne-
 gantem descendentibus sententiam.
 Eorum, qui in Affirmantium castra
 transierunt, primas tenere videntur
 Gymnosophistæ, de quibus Curtius
 lib. 8. verba facit, quod expectatam
 mortem pro dedecore vitæ habue-
 rint. Idem sentiunt alii, non infimi
 commatis Philosophi, præcipue
 Stoici qui jubent manere supersti-
 tes, opibus variis gaudentes, & qui-
 bus omnia absolute & prospere ac-
 cidunt, qui autem fortuna laborant
 finistrâ, qui paupertate, doloribus
 corporis, & ætatis senilis ærumnis
 premuntur, eos jubent è carcere
 hoc exire, & in libertatem se vin-
 dicare. Huc respicit Seneca, alias
 sapientissimus Romanorum Ep. 26.
 Quid enim ad sapientem carcer &
 custodia & claustra? liberum o-
 stium habet. Qværis quod sit ad li-
 bertatem tuam iter? qvælibet in
cor-

corpore tuo vena? sicut è domo exigi videmur, ait non nemo apud Stobæum Serm. 3. citante Dannh. Cum locator pensione non acceptâ, fores revellit, tegulas aufert, puteum obstruit, ita & hoc corpufculo pelli videor, cum natura quæ locavit, oculos adimit, aures, manus, pedes. Non moror igitur amplius sed velut è convivio discedo. Et idem Epist. 58. loquitur, si inutile ministeriis est corpus, quid ni oporteat educere animum laborantem? & fortasse paulo ante, quam debet, faciendum est, ne cum fieri debeat, facere non possis: Et cum majus periculum sit, malè vivendi, quam citò moriendi: stultus est, qui non exigui temporis mercede magnæ rei aleam redimit: Paucos longissima senectus ad mortem sine injuria pertulit, *ita ille.* Huic similem protulit, Cic. lib. 3. de fin. sæpe esse officium sapientis è vita discedere.

Un-

Unde & Lucanus :

*Par animi laus est, & quos superaveris
annos*

*Perdere, & extremae momentum abrum-
pere lucis.*

Multa etiam prudentum & magnorum virorum proferri possent exempla, non modo ex Prophanis historiis, verum etiam sacris, sed cum nostri non sit instituti, neque brevitatis, cui maximè litare constituimus, permittat plura afferre, ideoque uno alterove erimus contenti. Themistocles Atheniensis cum odiis invidorum hominum ex patria sua depelleretur, & à Rege Persarum Artaxerxe, invitus adversus patriam pugnare compelleretur, sumto veneno, semetipsum potius interimere, quam Patriæ suæ bellum inferre voluit : vir alioquin tantus, ut nemo Græcorum ei anteferatur, pauci pares putentur, quemadmodum de eo Corn. Nep. censuit, qui
ejus

ejus vitam scripsit. Sic Ajax, Græcorum post Achillem fortissimus, de quo Ovid. lib. 13. Metamorph. ita habet.

*Nequisquam Ajacem possit superare, nisi
Ajax*

*Dixit; Et in pectus tum denique vulnera
passum,*

*Qua patuit ferro, letalem condidit ensem,
Nec valere manus infixum educere telum
Expulit ipse cruor rubefactaque sangvi-
ne tellus,*

Purpureum viridi genuit de cespite florem.

Honestissima femina Lucretia Collatini uxor; propter stuprum ipsi à Tarquini Superbi Romanorum Regis filio illatum, cultro in pectus defixo, se ipsam interfecit, teste Livio. Illum morem in septentrione nostro olim viguisse, quod homines, vitam pertæsi, spontaneam mortem occupaverint, ut alia omittamus, testis est Historia Goth. & Rolfonis West-Gothiæ Regum, quæ primo statim

B

capi-

capite mentionem facit, rupis *Syl-*
lingzhammar/ quam *Atstapul* alias
 adpellabant, de qua præcipites sese
 dederunt vitæ saturi, aut illam qua-
 cunque ratione perosi, seque ad O-
 thinum ituros dixerunt, rarissimeq;
 vel nunquam naturali morte è vitâ
 excessum est. Ex hac verò rupe ad
 Deos properare non licuit nisi u-
 nius familiæ participibus, quod &
 nomen & historia dicta innuunt.
 Josephus de bello Judaico lib. 3. c. 15.
 ubi habitatores Joppeni naves fugâ
 petierunt; *Multæ*, *inquit*, cum ma-
 gna vi aduerso æstu niterentur, ad
 pelagus sublatae in sublimi gurgite
 mergebantur. Et ne fugæ uspiam
 locus erat, neque manentibus spes
 salutis: Cum & mari ventorum, &
 civitate Romanorum violentia pel-
 lerentur. Itaque multi ululatus col-
 lisis navibus audiebantur: Joppe-
 norum autem fluctibus pars obruti,
 pars naufragiis implicati morie-
 ban-

II

bantur. Nonnulli autem ferro se interficientes, veluti satius esset mori, præveniebant.

§. III.

De Platone ac Platonicis scribit Eloquentiæ Parens Cicero in Som. Scip. quod prohibeant, injussu Imperatoris ex hujus vitæ acie discedere, si quis ἀργία καὶ ἀνανδρίας δαλία ἐαυτῷ δίκην ἄδικον ἐπιθῆ id est, ex ignavia, & timiditate vel alia aliqua animi perturbatione motus hinc migraret: nam sic foret, ut anima ejusmodi passionibus infecta, non sit accessura ad puros illos liberosque locos. Unde haud obscure Poëtarum princeps Maro suam traxit opinionem, qui neque felicibus beatorum sedibus hos propriarum animarum exactores dignos audeat pronunciare, nec ad criminoforum cruciatus condemnare, medium ipsis tribuens locum inter infantes

a matrum pectoribus raptos occi-
 sosque atque eos quos amoris im-
 patientia vitam finire coëgit. Sic et-
 enim loquitur lib. 6. Æneid. v. 430.

*Proxima deinde tenent mœsti loca, qv̄i
 sibi lethum,*

*Infantes peperere manu lucemq̄, perosi
 Projecere animas. Quam vellent athe-
 re in alto:*

*Nunc & pauperiem & duros per-
 ferre labores!*

Si tamen quis sibi violentas manus
 intulerit, vel jussu Magistratus, vel
 urgente quadam ac intolerabili ne-
 cessitate, eum probris affici ac da-
 mnari Plato non vult. Exemplo etiã
 suo Platonis sententiam confirmat
 Cleombrotus Adolescens, qui lecto,
 Platonis de animarum immortali-
 tate, libro, cum adversi ei nihil ac-
 cidisset, præcipitem se de muro in
 mare dedit, inde dictus stultæ Phi-
 losophiæ martyr à Hieron. Ep. 25.
 ut refert Cic. i. Tusc. Hi quidem
 fue-

fuerunt extra Ecclesiam, verbi reve-
 lati expertes. Sed in ipsa prima Ec-
 clesia, variis opinionum monstris
 delusi fuerunt Donatistæ, & alii, qui
 statuerunt non solum, verum etiam
 docuerunt, licitum esse mortem vo-
 luntariam sibi inferre, ut pec-
 catum aliquod, videlicet stuprum
 & idololatriam evitarent, teste Aug.
 lib. 1. de Civ. Dei. Ac proinde semet-
 ipsos suffocaverunt, igne exusserunt,
 atque alios, ut se necarent coëge-
 runt, & quidē hoc dicto Matt. 18: v. 39.
 (ut putant) suffulti, ubi dicitur, qui
 invenit animam suam, perdit eam,
 & qui perdidit animam suam,
 propter me, inveniet illam. Ejus-
 dem quoque opinionis fuit Apollo-
 nia, quæ sponte se in ignem conje-
 cit, ne cogeretur pati stuprum. Sic
 mentionem facit Eusebius lib. 8. c. 7.
 De muliere quadam Romana, eaq̃
 Christiana, Sophronia, quam Ma-
 xentius ad illicitum congressum
 sol-

sollicitaverat quod ingressa cubiculum, gladio se ipsam interfecit. Et sane Tertullianus atque Hieronymus aliquoties pro pudicitiae atque castitatis amore fæminis Christianis in culcando, citant & laudant exemplum Lucretiæ (de qua antea injecta mentio est) cujus tamen furorem Augustinus & alii improbant. De illa est Renati Laurentis egregium epigramma, quod non indignum censeo, cujus particeps Lector fiat: tale illud est.

*Si fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter,
Immerita ex meritâ præmia morte petis,
Sin potius casto vis est illata pudori,
Quis furor est, hostis crimine velle mori?
Frustra igitur laudem captas Lucretia
namque
Vel furiosa ruis, vel scelerata cadis.*

§. IV.

Hicce sic prænotatis, si quis nostram roget sententiam quanquam
phi-

philologice saltem hanc materiam tractare constituimus, audemus tamen pronunciare, *αυτοφονία* esse horribilem prorsusque illicitam. Repugnat enim (α) Juri Divino ceu Auctoritati DEI (qui solus est vitæ Dominus) lumen ab ipso incensum extinguere & quidem (1) Quinto decalogi præcepto. Nam si nemo vitâ privandus sit, ergo propter generalitatem legis, nullus se ipsum interficere debet. Et qui sibi consciscit mortem, ait Aug. lib. 1. de Civ. Dei. hominem occidit. Huc spectat illud dictum Pauli ad Ephes. cap. 5. v. 29. *ὁ δὲ εἰς τὸ ποιεῖν τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν ἀλλ' ἐκρέθει καὶ θάλπει αὐτήν* Rom. 14. v. 7. *ὁ δὲ εἰς τὸ ἡμῶν ἑαυτῷ ζῆ καὶ ὁ δὲ εἰς ἑαυτῷ ἀποθνήσκει*. Ideo non sine magno sacrilegio vitam sibi adimere potest. Nam jus ac potestatem Dei sibi rapit, qui id molitur. Idem testatur Lactantius his verbis lib. 3. c. 18. Sicut in hanc vitam non nostra sponte ve-

ni-

nimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit tam diu habitaturos, donec jubeat emitti, *sic ille*. Nec aliter sentit Ambrosius, non recipit Dominus animas, *inquit*, quæ invito Domino ex corporibus exierunt. Ab hæc re abludere non videtur Josephus lib. 3. de bello Jud. c. 14. Si quis depositum hominis, *inquit*, surripuerit, aut male tractaverit, pessimus statim ac perfidiosus habetur: si Dei depositum ex proprio corpore quis ejecerit, eum latuisse, quem læserit, æstimabit? Et servos quidem fugientes ulcisci justum creditur, quamvis nequam Dominos fugerint: ipsi vero Deum fugientes, & optimum Deum, impiè facere non videmur. Huic sententiæ Epictetus Philosophus Hieropolitanus subscribit 1. Diss. cap. 11. citante Wendel. Ridiculi estis qui ita
 sen-

sentitis. Si ab aliquo vestro Imperatore locum & ordinem servare sim jussus, eum omnino mihi servandum & custodiendum putetis, ac ante millies oppetendam mortem, quam eum deseram: eum autem quem Deus mihi locum attribuerit officiumque descripserit deserendum esse, *hactenus ille.* (2) Providentiæ Divinæ cujus ordinem perturbat. Quamquam unicuique terminus vitæ est positus, statutumque est homini semel mori, tamen non vult Deus, hominem vel se ipsum, vel alium occidere, sed vult ut quisque terminum suum patienter exspectet: Ideoque ordinem Dei turbat, qui contra illud mandatum intempestivè se ipsum occidit. Horribile enim est proximum, aut consanguineos lædere, horribilius multo est, se ipsum occidere. Caritas enim ordinata, incipit à se ipsa. (3) Gratitude, quæ Deo datori vitæ nostræ debemus.

Non agnoscunt sortes suas esse in manibus Domini, Pl. 31. 16. Multo minus se vitam habere à Deo, penes quem solum est potestas eam auferendi, alias expectarent tempus exeundi ex hoc ergastulo, quando Deo placuerit, juxta exemplum Simeonis, qui non ipse filium vitæ suæ rumpebat, sed dimissionem à Domino suo petebat. Luc. 2. v. 29. Quin & videmus eandem contrariari (3) *Furi Naturæ*, quia talis homo pusillanimis, suum cuique non tribuit, sed injustus (1) in semetipsum, dum cui eximium amorem debet, se defraudat, & indemnatum occidit; magni etiam inter est, ut omne animal sui ipsius conservationem intendat. At *αυτόχειρ* sui ipsius conservationem non intendit, sed unionem animæ & corporis tanquam amicorum devinctissimorum contra naturam dissolvit & disrumpit. Hanc sententiam quoq; fulcit idem sapi-

sapientiæ Magister Seneca, suus cuique amor est, se conservandi permanendique insita voluntas atque aspernatio dissolutionis. Fortium virorum est; Dicente Curtio non odisse vitam, sed contemnere mortem. (2) In Dilectionem proximi, cui opem adferre debemus, quantum possumus, præsertim parentibus, liberis, & cognatis nostris, ne propter nos male audiant. Hoc enim bene est consulere suis; quod qui non facit, eum Apostolus Ethnicis deteriorem esse putat; *ἀντεφόνος* contristant & offendunt proximum, totique familiæ suæ maculam aspergunt, liberis necessaria vitæ detrahunt, suaque intempestiva morte ad paupertatem redigunt, & ne propter scelus hoc ira DEI super vicinos exardescat, sollicitos omnes reddunt: *sæpe enim, unius malefacta viri, populus luit omnis.* (3) In Rempublicam cœlestem & mun-

danam, quam aliquo cive membroque privant, cui conservandæ & quacunque ratione bonâ juvandæ atque augendæ obligamur cives in univèrsùm omnes. verum hujusmodi carnifices egregium timiditatis, ignaviæ, sævitæ, injustitiæ, stultitiæ, ostendunt exemplum, si qui ita magnitudine imminentis mali deterriti, involuntaria morte remedium aut finem mali quærunt. Atque ex eo est, quod in bene constitutis rebus publicis, præcipue christianis, vitium hoc ea ignominia, uti debet, notetur, quod his honesta sepultura denegetur, & si intra parietes obiêre, sub limen extrahantur, vel in locis separatis & peculiaribus, sepulturâ Asini sepeliantur. Sic Ebræis ab honore sepulturæ fuerunt exclusi, qui mortem sibi ipsi consciverant. Legimus etiam de Atheniensibus, eos olim hujusmodi cadavera ex finibus suis

expor-

exportasse. Hanc sententiam assensu excipit Tacitus Historicus verax, cujus hæc sunt verba, teste Pufend. Promtas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat, & quia damnati publicatis bonis, sepultura prohibebantur; Eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi. Quod autem quis se ipsum ex Jure Naturæ teneatur conservare id inde est, quia ab Authore omnium DEO ad colendam societatem humanam est destinatus, adeoque quod ego me teneat conservare, id me non debere mihi, sed DEO & societati humanæ.

§. V.

Verum, licet nullius quidquam detractum velimus auctoritati, atque quemvis suo abundare sensu non inviti patiamur; interim tamen inter *αυτοφόνους* damnandi nobis non videntur, qui vel in navali pugna
ra-

navem quâ vehuntur, vel Arcem in qua obsidentur, in manus hostium non sine magno horum emolumento, Patriæ vero incommodo, indubitanter aliàs perventuram cernunt, ignem pulveri nitrato subjicientes, navimque & arcem, seque suosque, propter publicam utilitatem, (summa urgente necessitate) devovent; quales etiam heroes nostra Patria genuit, & etiamnum laudat ac celebrat. vid. Chem. qui ad exemplum Samsonis respondet, eum præterquam quod typus Christi fuerat, qui animam suam posuit pro ovibus; etiam publicam Personam gessisse, cui publica vindicta commissa ut hostes ulcisceretur, ut & orat, Jud. 16. v. 28. Sin vero aliter evenerit, dicit v. 30. moriatur anima cum Philistæis. Unde satis patet hoc fuisse, factum extraordinarium ac heroicum. Hic igitur cum publica utilitas atque honestas

mili-

militent, virtutem adesse prorsus
 negandum non videtur. Cum in
 hoc discursu occupati sumus, obi-
 ter observamus, illos aliquatenus â
 crimine *αυτοφονίας* eximendos &
 excipiendos esse, qui ex morbo Phre-
 netico & melancholico mortem sibi
 accelerant, nam damna â Phreni-
 ticis illata, non imputantur ipsis,
 ideoque propterea non puniuntur,
 utpote qui ex inpotentia mentis,
 faciant ea quæ si compotes sui fuif-
 sent, sine dubio intermisissent. Et
 sicut DEUS T. O. M. in iudicio suo
 peccata imbecillitatis nemini pio-
 rum imputat, sed pro sua immensa
 misericordia remittit ac tegit: ita
 credimus peccatum *αυτοφονίας*,
 quod ex infirmitate, ipsis auctori-
 bus quasi insciis, committitur, DE-
 UM non imputare, sed ex gratiâ
 propter Christum ermittere, in
 quem miseri illi crediderunt. Idem
 testatur Balduinus de casibus con-
 sci-

scient. Ad quem quoniam prolixior est, curiosum & candidum Lectorem mitto, rogans submissè ut puerilia hæc, quæ in chartam conjeci, meliorem in partem interpretetur.

SOLI DEO GLORIA!



Amicissimo suo Festing/

Non possum mihi temperare, quin & ego, mi Festing/ animi mei affectum, gaudiumque inpræsens significem, paucisque lineis Tibi gratuler. Qui inter literarum Mularumque sectatores, assiduus, â principio ætatis tuæ, ingenium egregiè excultum, studiorum tuorum hoc specimine ulterius exercere conaris, edendo in publicum discursum haud contemnendum. Hoc animo macte, hinc enim te larga laboris indefessi manebunt præmia. Quod super est supremum Numen ex toto pectore intimisque cordis visceribus veneror, ut honesto huic tuo proposito benedictionem addat exoptatissimam. Idq; honestissimæ matri insigni gaudio, Tuocq; honori. Sic optat

C. THELAUS.

*Juveni Natalium honore, literis mori-
busque inclyto,*

DN. JOHOCO SESSING/

*Fautori atq; Amico eximio, dum tersam de nece
accerita Dissertationem solerter defenderet.*

N*obilitant proavi generoso sanguine cretos,
Nobilitat meritū sic quoq; quemq; suum.
Ingens nobilitat Mavortia pectora robur,
Et fors ancipiti stansve cadensve pede,
Creverat immenso cui plurima pondere gaza
Nobilis is vulgò en! eximiusque cluet.
Gnaviter at solitus vigiles perducere noctes
Infixus studis Palladisque sacris,
Pegasidum arbitrio, solido ut potiatur honore,
Is doctis merito nobilis esse solet.*

Nobilis es fateor, prestansque hoc nomine

SESSING/

*Et quæ nobilitant fors Tibi cuncta dedit.
Sunt genus & nervi, quæis Te fortuna beavit,
Sunt faciles Musæ. Nec decor ullus abest.
Nobilior multo at quod non defessus agendo
Faturâ ingenii plena canistra refers.
Nobilis innocuam quod nosti ducere vitam,
Excolis in stadio hoc ingeniumque Tuum.
Cujus, Pieriâ redimitus tempora lauro
Ut victor clueas cernuus usque precor !!!*

DAN. STEKSENIUS. W Bothn.